Quelle: https://manuscripta.at/?ID=5915
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48"> <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg">



in Cesarea / se autem maturius profectum. Cum igitur hic apud
eum desiderarentur sit si quid est in viro crimen, accusent eum. Demoratus
autem inter eos dies non amplius quam octo, descendit Cesaream
et altera die sedit pro tribunali, et iussit Paulum adduci. Et cum productus
est, circumsteterunt eum qui a Ierosolima descenderant iudei multas et
graves causas obiicientes, quas non poterant probare. Paulo autem rationem
reddente quia neque in legem iudaeorum neque in templum neque in Cesarem
quicquam peccavi. Festus autem volens iudaeis gratiam praestare, respondens
Paulo, dixit: Vis Ierosolima ascendere et ibi de his iudicari apud me.
Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cesaris sto, ibi me oportet iudicari.
Iudaeis non nocui, sicut tu melius nosti. Si enim nocui, aut dignum morte
aliquid feci, non recuso mori. Si vero nihil est horum quae hi accusant me,
nemo potest me illis donare. Cesarem appello. Tunc Festus cum consilio
locutus, respondit: Cesarem appellasti, ad Cesarem ibis. Et cum
dies aliquot essent transacti, Agrippa rex et Bernice descenderunt
Cesaream, ad salutandum Festum. Et cum dies plures ibi morarentur,
Festus regi indicavit de Paulo dicens: Vir quidam est derelictus a Fe-
lice vinctus, de quo cum essem Ierosolimis, adierunt me principes
sacerdotum et seniores iudaeorum, postulantes adversum illum damnationem.
Ad quos respondi: quia non est consuetudo romanis damnare aliquem hominem
prius quam is qui accusatur, praesentes habeat accusatores, locumque defendendi
accipiat ad abluendum crimen. Cum igitur huc convenissem, sine ulla dilatione
sequenti die sedens pro tribunali iussi adduci virum de quo cum stantes
circumsteterunt accusatores, nullam causam deferebant de quibus ego suspicabar ma-
lum. Quaestiones vero quas de sua superstitione habebant adversum
eum, de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus vivere. Hes-
tans autem ego de huiusmodi quaestione, dixi: Si velis ire Ierosolima
et ibi iudicari de istis, Paulo autem appellante ut servaretur ad Augusti
cognitionem, iussi servari eum, donec mittam ad Cesarem. Agrippa autem dixit
ad Festum: Volebam et ipse hominem audire. Cras igitur audies eum. Al-
tera autem die cum venissent Agrippa et Bernice cum multa ambitione
et intravissent in auditorium, iubente Festo adductus est Paulus.
Et dixit Festus: Agrippa rex et omnes qui simul adestis nobiscum, videtis
hunc de quo omnis multitudo iudaeorum interpellavit me Ierosoli-
mis petentes et acclamantes non oportere eum vivere amplius. Ego vero comperi